Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 335
Quelle:
Copyright:

relictus a *M. Thoma Haselbachio* hoc rubro est: *Incipiunt additiones super postilla biblie Magistri Nicolai de lyra edite a R. patre Magistro paulo Episcopo Burgensi in sacra pagina professore quas venerabili viro Alfonso legum doctori Decano Compostellan. filio suo ex legitimo matrimonio suscepto direxit premittens ei prologum sub hac forma.* Tres filios habuit *Salomon Levi* Hebraeus *Hispanus*, quibuscum christianam fidem amplexus a. 1390. dictus est *Paulus*. Serio Hominem egisse, argumento sunt munia gesta Episcopi *Burgensis* et Archicancellarii *Castellae* et *Legionis*, et magis Opera scripta *Scrutinium Scripturarum* et *Additiones* nostrae &c. quas a. 1429. absolvit. Adi de eo Autores, quos excitat *Fabricius Bibl. med. Lat.* L. XV. v. *Paulus*. Init *Prologus* noster legi dignissimus: *Quid tibi vis ut viuens donem dilectissime fili* &c. Laudat in eo *Lirani Postillas*, addens: *quia tamen nullum opus humanum adeo perfectum est, quin ei superaddi aliquid possit — expedire putavi aliquibus in locis aliquid additare, in illis permaxime, vbi sanctorum doctrinas aliquatenus pretermissas conspexi.* Meminit grato animo defuncti Regis *Henrici* III. quem *Curricum* non tantum Codex noster, sed etiam Edita mendose compellant. Extant enim *Additiones Pauli* in Bibliis glossatis, puta *Lugd.* 1545. f. ipsis *Lirani Postillis* per partes subjectae, neque eae solum, sed *Replicae* etiam *Mathiae Doring* seu *Thuringii* O. M. ejusdem Sec. Scriptoris, in quibus *Burgensis* Opus impotenter *Postillae Corruptorium*, suum vero *Correctorium Corruptorii* adpellat, rogatque, ut si dixerit *Burgensem delirare, non recipiatur, ut blasphemia, sed ad literam, quod delirat, quia cum lira non concordat.* Duo jocularem Hominis bilem movisse credas, cum quod *Paulus* ausus est *Liranum* Instituti Franciscani Sodalem tangere, tum quod *Thomae Aquinati* multum innititur. Atqui ille e *Thomae* lectione de Veritate Religionis christianae convictus fuit. Verum haec obiter. Codex noster, qui omnes *Pauli Additiones*, earumque Παρεγγα complectitur, *fol.* 250. p. 2. post *Psalterium* hanc notam miniatam exhibet: *Basilee in Concilio Generali vltima decembris.* 1435. Multum desudasse in hoc Conventu Librarios, atque hoc beneficio *Codices* magno numero in diversas *Europae* partes ablatos fuisse, variis exemplis doceri possit.

CCXXV.

Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 246. quae tamen altera pagina intacta sunt, f. max. magni olim *Eugenii Sabaudici*, exhibet splendidissimum in S. Biblia Opus, cujus haec est ratio. Praemissa Dei sedentis, gremioque Globum terraqueum, quem circino metitur, tenentis icone a quatuor angelis circumdata succedunt Picturae orbiculatae *Pentateuchum*, *LL. Josue*, *Judicum*, *Ruth*, E. 2